Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput IV

urn:nbn:de:bsz:31-97032

Visual Library

CAPUT IV.
DE ASIONE & ALUCONE.

ASio ſeu *Otis* & *Nycticorax*, vocem emittit ſimilem ei, qua homo frigore rigens, exclamare ſolet hu hu. Cum Lingula & Cyncramo, Coturnicibus hinc proficiſcentibus, ducem ſe præbet. Imitatur res eas, quas ab homine agi videt, etiam ab aucupibus. ſtant illi è regione, & viſcoſo quodam pharmaco oculos inungunt, illud poſt in pelvibus relinquunt, & abeunt. Accedit Otis, & oculos ſibi conglutinat, ſicque capitur. *Aluconis* duo ſunt genera Majus & Minus. *Major Aluco* habet hoc peculiare, ut palpebram à ſummo oculo ad imum adducens conniveat. Auriculis ſeu cornibus caret, ſed horum loco habet veluti coronam quandam è plumis conſtructam, quæ faciem totam obit, pinnulis nempe ſupra oculos, ſuperciliorum altorum modo elevatis, & utrinque per tempora, nec non ſub mentum deſcendendo coëuntibus, in formam pepli muliebris. Minor in rimis quercuum à teredine excavatis, invenitur. Quod forte animalculum cepit, deglutit integrum. Tam ampla enim ei gula, ut bolos ovo majores integros tranſmittat; neque quicquam cibi ſumit, antequam oſſa, pilos, plumas rejecerit.

CAPUT V.
DE ANSERE.

ANſeres in regno Senegæ colore ſunt variato. Oloribus candidiores, & capite rubeo Hiſpaniola profert. *Cadamuſt.* In regione Manci Indiæ ſuperioris os ſupra caput habere ovi magnitudine, ſanguineo colore, pelle ſub gula per ſemiſſem pendente, autos eſt *Odoricus à Foro Iulii.* Ex Onocrotalorum genere putat *Aldrovandus*, In Arabiæ parte, quæ verſus Au-

ſtrum aſſurgit, non eſſe ſcribit *Strabo l. 6. Geographic.* Vitam in multos producunt annos. Sexaginta exceſſiſſe teſtatur *Albertus*, ducentos *Gratarolus*; ſed ne juranti quidem ſe crediturum ſcribit *Aldrovandus*. *Cardanus* vix fabuloſa exiſtimat, quod ſolidæ admodum ſint carnis. Conſtat enim Sylveſtrem anſerem tribus perpetuis diebus excoctam, emolliri non potuiſſe, objectam canibus manſiſſe intactam. Cæterum inter omnia anſerum genera, maxime mirificum illud eſt, quod in Scotia Solandgus vocant incolæ. De eo ita *Boetius in deſcript. Scotiæ. Præter alias Inſulas nobilis eſt Maja D. Hadriani, ac ejus ſodalium martyrio pro Chriſti nomine coronatorum reliquiis. Altiſſimo hic ſcopulo fons aquæ dulcis largißimus, admirando naturæ miraculo, medio mari ſcaturit. Omnia exſuperans rerum novitate Bas Caſtellum, viribus humanis inexpugnabile. In hoc quoque æſtuario ſitus eſt Scopulus anguſto aditu vix piſcariam navim recipiens, qui non in ſeſe ædificia excavata habet, ſed excavatus non incommodiora domicilia intus præbet, quam ſi magnis operibus extructus eſſet. Cæterum hac re longe munitiora. Quicquid autem in eo eſt, portentoſa plenum eſt novitatis. Avium enim, quas vernacula lingua Solandis appellamus, haud abſimilium illis, quas Aquilas Plinius aquatiles vocat, in eo ingens copia inhabitat, nec in ullo alio ferè loco. Eæ, quam primum adveniunt, incipiente vere, conſtituendis nidis tantam lignorum copiam comportant, ut auferentibus, qui illic habitant (nec enim id ægrè ferunt) ſatis in annum ex ea parte proſpectum ſit. Pullos ſuos piſcibus alunt, uſque delicatiſſimis. Nam ſi quempiam anteceperint, avolanteſque meliorem fundo maris nantem conſpiciant, abjecto illo, magno ſe impetu præcipitantes immergenteſque prædam perſequuntur illam. Vbi vero ad nidum eſcam pullis adportarunt, auferentibuſque rurſus hominibus haud gravate concedunt, continuo pro aliis advolantes. Pullos quoque nec repugnantibus deprædantur, unde ingens commodum ad Caſtelli Dominum redit. Nam cutem detrahentes cum pingui, oleum inde magni pretii conficiunt. Habent quoque inteſtinum quoddam par-*

parvum, oleo ſingularis virtutis repertum. Coxendicem enim arthritimque & id genus morbos ſanare conſuevit, ut appareat hanc avem, cum omnibus modis hominum uſibus inſerviat, quod rarior ſit, hoc ſolo ſe eſſe inferiorem. Hactenus Boetius. Nos odorem halecis, dum aſſatur, emittere, in Scotia dum eſſemus, percepimus.

CAPUT VI.
DE ALCYONE, ANAtibus, & avi Emme.

FAma eſt *Alcyones* nidos ſuos ex duriſſimis piſcium oſſibus, & acutiſſimis ſpinis fingere, ac rarius niſi ſupra mare videri, inter ſalſuginoſa maris incunabula. Pariunt circa brumam. Quamobrem quoties bruma ſerena exiſtit, *dies Alcyones* appellantur, ſeptem ante brumam, ſeptem à bruma. Illis autem nidum conficit; his parit. *Plin. l.* 5. *c.* 8. Nidi figura pineali aſſimilatur, aut ventoſæ cui collum longum. *Albert.* Propter artificioſam compoſitionem non facile ferro ſecatur: *Ariſtoteles* tamen ſi manu atteratur & confricetur, ac una ferro tundatur, facile confringi ait. Mare illum ne intret oſtiolum ex intumeſcente ſpongiæ inſtar materia, conſtruit, tumore claudente: Ab ingreſſuris comprimitur, & aquam exudans, præbet aditum. Tantus fœminarum erga maritos amor, ut ſemper iis adſint, humeris ſuis in gravida ætate portent; qui tandem in coitu obeunt. *Plutarch de Solert. animal. Anates* domeſticæ omnibus fere ſunt notæ. Lybicæ mediæ ſunt inter Anſerem & Anatem magnitudinis. Membrum genitale habent tam magnum, ut digiti unius craſſitudinem, aut quinque longitudinem æquet, ſanguinis inſtar rubrum. *Bellon.* Ova illarum ſi ad ſolem deſpicias, deprehendes in ſummo nigredinem, quæ in earum roſtris. *Scaliger.* Nullam emittunt vocem, quamvis & pulmones & arteriam habeant. Altorus numeroſum illarum gregem, duas noſtrates ſingulis maribus deſtinet; ſic magnum